verò ad præſcriptionem *Theriacalium*, ut & *mucilaginoſorum & Pulverum bezoardicorum* pergatur. Nonnulli pro *ſpecifico* hic admittunt partim *Cryſtallos albas*, ad ʒj. datas, partim *Oleum Tartari per deliquium* ad ʒij. cum vehiculo convenienti præſcriptum.

# TITULUS II.

## *De Venenis Vegetabilibus atque eorum Antidotis.*

§. I.

*Opium.* INter *Venena vegetabilia* primum locum meritò tenet *Opium*, quod licèt egregium & efficax Medicamentum doſi juſtâ exhibitum exiſtat, nihilominus tamen ultra doſin aliquot granorum aſſumtum ſomno perpetuo occaſionem dat, naturamque in operationibus ſuis vitalibus prorſus deſtruit. Quid verò Opium *propriè ſit?* Ex *quibus* principiis componatur? Et quando operetur? illud verò prolixius à *Celeb.* Joh. Georg. Wedelio in *Opiologiâ*, quin & à Michaele Ettmüllero, in *Diſſertatione de Opio* exponitur. Noſtri verò inſtituti hic eſt, ſpecificè ſolùm docere, quomodo Venenum quodvis deſtrui debeat? Quam ob rem in principio ſtatim, dum adhuc major portio *Opii* in ventriculo latitat, *Vomitorium* aliquod exhibendum, hinc etiam *Clyſteres* injiciendi; hac demum accedendum ad ea Remedia ſpecifica, quæ ſulphur illud Opii narcoticum potenter adoriri & deſtruere valent, qualia ſunt *Spiritus Salis armon. urinoſus*, vel ſimplex, vel *oleoſus* redditus, tam externè naribus applicandus, quàm intus etiam ad ℈j. ſubinde exhibendus.

*Specifica*

*Specifica* tamen magis eſt *Tinctura Caſtorei cum Spiritu Sal. armon. urinoſ. parata*, ut & *Eſſentia Myrrhæ, Cinamomi, Sal. volat. C. C.* aut *Viperarum, Spiritus Juniperi, Spiritus volatilis Eboris, Eſſentia Angelicæ, Rutæ*, aut *Zedoariæ*, quæ cum vehiculis appropriatis propinari diligenter poſſunt.

§. 2. *Opio* ſubjungimus *Fungos terreſtres* varii generis *venenatos*, à quibus comeſtis maximum vitæ aut mortis periculum imminet. Huic autem Veneno debellando atque è corpore expellendo eadem methodus præſcribi poteſt, qualis contra *Opium* fuit ordinata, & quia *Mel* pro ſpecifico talium Venenorum Antidoto vulgariter habetur, ideo etiam *Alexipharmaca* tam fixa, quàm *volatilia* cum ipſo *Melle* facilè propinari poſſunt. *Fungi terreſtres.*

§. 3. Sequuntur in Venenorum Vegetabilium ſerie *Napellus, Aconitum, Cicuta*, ſive *terreſtris*, ſive *aquatica, Colchicum, Nux Vomica, Ejula, Nicotiana, Helleborus albus, Hyoſcyamus, Ranunculus, Cynogloſſa, Mandragora, Solanum furioſum, Flos African. Pulſatilla*, & id genus. Quorum ſulphura impura & ſalia acria corroſiva deſtrui poſſunt, poſt exhibitum antea, ſi adhuc tempus eſt, *Vomitorium, Lixivioſis ſalibus, Pulveribus alexipharmacis*, tam *volatilibus* quàm *fixis*, inprimis *Caſtorei*, *Myrrhæ, Bezoardici mineralis, Antimonii diaphoretici, Eboris ppti, Pulver. radicum Anthoræ, Petaſitid. Gentian. Angelicæ, Contrayervæ, Carlinæ* &c. quibus adduntur *Electuarium Diaſcordium Fracaſtorii, Mithridat. Theriaca Andromachi*, niſi *Venenum* ipſum narcoticæ exiſtat naturæ. Multum quoque in talibus caſibus prodeſt *Lac bubul.* affatim & frequenter hauſtum, ut *Cremor Hordei* atque *Gelatina C. C.* &c. *Napellus, &c.*